DEO TER OPT. MAX.

Auxiliante & prosperante

DISPUTATIO IURIDICA, *De* EMPTIONE & Venditione, in certas & maximè utiles Quęstiones distributa.

Quam

CONSENSU ET AUTORITATE MAGNIFICI & Amplissimi Jureconsultorum ordinis in prælustri Lipsiensium Academia

SUB PATROCINIO

Dn. VVILHELMI SCHMUCCII

Philos. & I. U. D. Pandectarum Professoris publici, ejusdemq; facultatis Assessoris dignissimi, Præceptoris & Fautoris sui omni observantiæ cultu prosequendi.

Publicè excutiendam & examinandam proponit Respondendoq; defendet

GEORGIUS ERNESTUS MOSBACH Lipsiensis.

Ad diem 30. Octobr. in Auditorio Juridicis exercitiis destinato horis consuetis.

Lipsiæ Excudebat Paulus Schedderus Anno 1623.

Quæstio I.

An emptio & venditio ſit contractus jurisgentium; an vero contractus juris civilis?

QUoniam inprimis rei propoſitæ origo inveſtiganda eſt: Ideo & hîc primo loco quæritur, An emptio & venditio à juregentium, an verò à Jure civili originem ſuam traxerit? Prius, quod nimirum emptio & venditio potius ſit contractus jurisgentium, quàm juris civis, ex ſubſequentibus illuſtratur fundamentis, quæq; ſententia ab omnibus recepta, confirmatur primô textibus juris, nimirum *per §. jus autem gentium inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Quo loco emptio & venditio expreſsè numeratur inter contractus jurisgentium. Hanc ſententiam confirmat *l. 1. § 2. ff. de contrah. empt.* Ubi hæc habentur verba. Eſt autem emptio & venditio juriſgentium, &c. Huic adde *l. ex hoc jure 5. ff. de juſt. & jur.* Ubi expreſsè ſtatuitur, emptionem & venditionem, locationem, conductionem, & ſimiles contractus eſſe jurisgentium. Huc etiam facit *l. jurisgentium 7. in pr. & §. quæ pariunt. 1. ff. de pact.* Rationes etiam ad corroborandam noſtram opinionem non deſunt. (1.) Quia ad hunc contractum perficiendum ſufficit ſolus contrahentium conſenſus *per. l. 1. in fin. ff. de contrah. empt.* cui.

Textibus juris hæc confirmatur ſententia.

Rationibus perſp

empt. juncta l. in venditionibus 9. in pr. ff. d. t. Item l. 2. in pr. & l. in quibuscunq; 48. ff. de Oblig. & Act. Consen sus autem est jurisgentium *per l. 1. § conventionis 3. ff. de pact. d. l. 1. § 2. ff. de contrah. emdt.* Ideoq; dicitur emptio jurisgentium, quia solo peragitur consensu, qui jurisgen tium est *d. l. 1. in fin. d. t.* 2. Ratio hæc esse potest. Quod emptio civilis non dicatur emptio, sed proprie mancipatio *Ulpian. lib. 2. tit. 2.* Ergo emptio in propria significatione accepta, ut etiam hoc loco accipitur, non est juris civilis, sed potius jurisgentium. 3. Rationis loco esse potest. Quod contractus emptionis & venditionis originem cæperit à permutatione *l. 1. in pr. ff. de contrah. empt.* Jam vero quemadmodum permutatio est jurisgentium, necessariò exinde sequitur. quod & emptio & venditio talis sit *l. 1. § est autem emptio ff. h. t. l. jurisgentium 7. ff. de pact. l. ex hoc jure 5. ff. de just. & jur § jus autem gentiũ inst. de jur. nat. gent. & civil.* Nã surrogatum ejusdem est naturæ, cum eo cujus in locum substituitur & succedit *cap. surrogatum de R. J. in 6. arg. l. si ex lapidicinis 32. ff. de jur. dot. l. Imperator 70. § ult. cum l. seq. ff. de legat. 2.* Insuper hanc nostram sententiam etiam confirmant. *Bartol. in l. 1. ff. h. t. Item Bald. ad Rubric. C. eod.* qui dicunt hunc contractum emptionis & venditionis esse jurisgentium simpliciter & absolutè. *Wesenbec. in paratit. hic Vultei de empt. & vendit. num. 4. 5. 6. & seqq.* His benè intellectis nulla ferè dubitatio esse possit, quin propter tot apertos textus, rationes juris, & autoritatem aliquot Doctorum, Emptio & venditio contractus sit jurisgentium.

Autoritate Doctorum.

QUÆ-

An emptio & venditio sit contractus bonę fidei; An vero stricti juris?

Sententia illorum, qui emptionem & venditionem inter contractus bonæ fidei referunt, probatur primò variis textibus juris. Pro confirmanda enim hac opinione facit inprimis *l. domum emi 57. § quod si uterq. fin. ff. de contrah. empt. l. consensu fiunt 2. § item in his 3. & fin. ff. de Obl. & act. § actionum 28. inst. de action.* Quibus in locis emptio & venditio expresse inter bonæ fidei, non stricti juris contractus numeratur. Secundò sententia hæc illustratur & rationibus satis abundè perspicuis. 1. Ratio est. Quoniam in contractu emptionis & venditionis, naturalis ratio ipsa bonam fidem & æquitatem summam postulat *l. si res 1. § venditor. 1. ff. de action. empt.* quod etiam expresse probatur *per l. exemplo 11. § & inprimis. sciendum est 1. ff. d. t.* Huc referendus etiam est textus *in l. bona fide 31. ff. depos.* Et exinde etiam hic contractus emptionis & venditionis à contractibus stricti juris distinguitur *§ actionum 28. inst. de action.* In quo § actio empti & venditi expresse actionibus bonæ fidei accensetur. 2. Rationis locum subintrat. Quod remedium sive beneficium *l. 2. C. de rescind. vendit.* locum habeat solummodo in contractibus bonæ fidei, non verò stricti juris contractibus, secundum veriorem & communiorem sententiam. Jam verò quod prædictum beneficium contractui emptionis & venditionis propriissimè conveniat, extra ullum dubium est, per rescriptum Imperatoris Diocletiani & Maximiani *in leg. sec. C. de*

Varii textus Juris

Juris Rationes.

C. de rescind. vendit. expressum; Ergo necessariò exinde sequitur, quod non sit stricti juris, sed potius bonæ fidei contractus. Tertiò deniq; & hæc opinio confirmatur, autoritate quorundam Jtorum. Recipit enim eam *Harprecht. ad pr. de tit. empt. & vendit. num. 14. 15. 16. & seqq. Wesenbec. in paratit. hic de empt. & vendit.* Et reliqui *ferè omnes.* Insuper ad finem hujus Quæstionis & hæc notanda veniunt. Quod dicantur contractus bonæ fidei, non quod alii contractus sint malæ fidei, cum in omnibus contractibus bona fides requiratur *l. bonam fidem* [illegible] *C. de Obligat. & action.* Sed ideo quod in horum contractuum actione sive judicio fiat condemnatio ex bona fide, id est, ex bono & æquo etiam ultra id, de quo in ipsa conventione expreßè ac nominatim fuit actum *§ conductor 5. inst. de locat. & conduct. l. sed Celsus 6. § si fu*[illegible] *l. vers. in emptis & venditis ff. de contrah. empt. l. quia* [illegible] *tundem 7. ff. de negot. gest.* Sicq; passim bonam fidem pro naturali æquitate accipi certum est *l. Lucius 24. ad* [illegible] *l. bona fides 31. ff. depos. l. si mandavero 22. § Julianus* [illegible] *mand. l. si quis absentis ff. de oblig. & action. l. 2. § 2. ff. de* [illegible] *l. quær. 54. locat.* Stricti verò juris contractus sunt, in quorum judiciis fit strictè condemnatio, deq; iis tantum quæ in ipsa conventione nominatim sunt expressa *l si ita sti*[illegible] *latus 126. § Chrysogonus 2. vers. plerumq; enim ff. de verb. ob*[illegible] *lig.* Dubitandum igitur non est, quin contractus [illegible] nis & venditionis magis sit bonæ fidei quàm stricti [illegible]

> *Autoritas Juriconsultorum.*

Quæstio III.

Utrum venditor, si facultatem rei tradendę habet, pręcisè cogi posit ad tradendum, an verò interesse pręstando, liberetur?

Cum effectus contractæ emptionis & venditionis in eo consistat, ut obligationem mutuam pariat *inst. de oblig. quæ ex consen.* Hoc est ut venditor ad rem tradendam *l. 11. § 2. ff. de action. empt.* Emptor verò ad pretium dandum, compelli possit *per d. l. exempto 11 ff. d. t.* Gravis hinc, quotidiana quamvis, discutienda venit hæc Quæstio. Ego prius illud, quod nimirum præcisè ad tradendum cogi debeat, & textibus & rationi juris magis consentaneum puto. Nam *Ulpianus ex l. exempt. 11. § & inprimis 2. ff. de action. empt.* Respondet: Venditorem oportere ipsam rem præstare sive tradere. At verbum OPORTERE præcisam coactionem seu necessitatem importat, quod dilucidè probatur *ex l. 1. in pr. ff. de just. & jur.* Imo manu militari ab eo auferri potest *ut notat Castrensis ad d. l. 1. ff. de actionib. empt. & l. qui restituere jussus 68. ff. de R. V.* Huic etiam, accedit quod Imp. Just. *in § aliæ autem 2. vers. & ad exemptum Inst. de donat. perspicue tradit.* Ad exemplum venditionis incumbere traditionis necessitatem donatori: Atqui donatori necessitas tradendi rem donatam absolutè incumbit *l. si quis argentum 35. § sed si quidem fin. C. de don.* Ergo idem quoq; dicendum erit de venditore. Maximè etiam urget textus *in § 1. inst. de empt. & vendit.* ubi verbum OMNIMODO benè observari debet. Nam si OMNIMODO, ut textus ille vult, res tradi debet: Nulla ratione ea retineri, & vice ejus interesse præstari poterit. Verbum enim, OPORTET, OMNIMODO, & similia nullam limitationem recipiunt *per l. si quis argent 35. § sed et si 4. C. de donat.* Huc pertinet textus in *l. non est probabilis 6. C. de rescind. vendit.* Ad quos textus etiam afferri possunt Rationes quædam juris, quibus hæc sententia confirmari pos-

Hæc sententia confirmatur textibus ipsis.

Rationibus non contemnendis.

possit. 1. Quia invito creditori aliud pro alio non solvitur *l. 2. § 1. ff. de reb. cred.* Sed res vendita debetur emptori, tanquam creditori, Ergo etiam illa tradi debet, non autem aliud ejus loco, puta interesse, invito emptore, secus est, si consentiat. 2. Quia nemo eandem rem denuò citra falsi crimen vendere potest *l. 21. ff. ad Leg. Corn. de falsis juncta l. quoties 15. C. de R. V.* Sed Stellionatum incurrit, qui rem alii obligatã, dissimulata obligatione alii distraxerit *l. 3. ff. de crim. stellion.* Si vero venditor præstatione ejus quod interest liberaretur, rem eandem alteri vendere posset, quia quod lege permittente fit pœnam nõ meretur *l. Grachus C. ad L. Juli. de adult.* Ergo venditor, rem ut tradat, necesse habet. 3. Rationis loco esse potest. Quod in uno ex correlativis dispositum sit, id & in alio dispositum censetur *arg. l. fin. C. de indict. viduit. toll. & l. fin. ff. de Accept.* Sed emptor & venditor correlativè sibi opponuntur, & venditori competit ad pretium exigendum venditi actio *l. vendit. 6. C. de action. empt.* Ergo & emptori competet actio empti ad consequendum id quod venditum est. Et effectus, ut in principio hujus quæstionis tradidimus, contractæ emptionis & venditionis in eo consistit, ut obligationem mutuam pariat *inst. de oblig. quæ ex consens.* Jam verò obligatio nihil aliud est, quàm Juris vinculum, quo quis necessitate adstringitur ad solvendum *per pr. inst. de Obligat.* Ergo venditor ad rem tradendam *l. 11. § 2. ff. de action. empt.* Emptor verò ad pretium dandum compelli potest *per d. l. 11. § 2. ff. d. t.* 4. Et hæc magni momenti est. Quod nihil magis bonæ fidei, quæ summa est in hoc contractu, congruat, quàm ut illud, quod inter contrahentes actum est, servetur &

præ-

præstetur *l. ex empto 11. § 1. ff. de action. empt.* Grave quippe est conventionem & datam fidem fallere *l. 1. ff. de pact. l. 1. in pr. ff. de const. pec.* Id autem in emptione egitur, ut res emptori tradatur, & pretium venditori detur, *d. l. 11. § 1. ff. de action. empt. junct. § 2. ejusdem l. ff. d. t.* Nulla etenim ex contractu obligatio est, nisi de eo, quo convenit inter contrahentes. At in re vendita apertè de re tradenda convenit. Nam ad hoc res emitur, ut in emptorem transferatur, de eo autem quod interest nihil convenit. Igitur ex tradenda obligatione, non ad interesse, sed ad rem ipsam tradendam agitur. 5. Accedit, quod nulli dolus suus debeat patrocinari *l. 63. § 7. ff. pro soci.* aut malitia sua esse lucrosa *l. in pr. ff. de. dol. mal.* 6. Ad rem facit, quod alteri per alterum iniqua conditio inferri possit *l. non debet 74. ff. de Reg. Jur.* 7. Et hæc adduci potest, quod expresse fieri non potest, id tacitè multo minus recipitur *l. 8. § 5. ff. de inofficios. testam.* Atqui claro clarius est id agi aut conveniri expressè non posse; ne res vendita ad emptorem transeat, salvo manente contractu *l. cum manu sata 80. § fin. ff. de contrah. emp.* 8. Potest & hæc ratio sententiam nostram corrobare. Quod non simplex factum sit in obligatione, sed etiam dare & cum effectu rem venditam transferre tenetur venditor. Quare sicut in reliquis dandi obligationibus, potest agi ut res detur *l. stipulationes 72. ff. de verber. obl.* Ita quoque res sese habet in venditione. Quam sic textibus & rationibus multifariis firmatam & veritati consentaneam sententiam amplectuntur *Bart. Castr. & reliqui Dd. pleriq. una cum recentioribus in l. 1. ff. de action. empt.* Autoritate quorundam Doctorum. *Broncborst. cen: 2. assert. 57. edit. 2. Matt. Steph. cent 3. qu. 68.*

Elias Rober. disp 17. Coron. 2, Vult. ad Rubr. h. t. num. 51. Borch. ad § alia inst. de donat. Ex hisce itaq; juris fundamentis firmiter & indubitatè statuimus concludendum esse. Quod venditor præstando interesse nunquam liberetur, si facultatem rei tradendæ habeat.

Quæstio IV.

An sine pretio emptio & vẽditio subsistere possit?

Tria sunt substantialia emptionis & venditionis requisita. nimirum consensus, *de quo est textus in l. in venditionibus 9. ff. de contrah. empt.* Res quæ veneat *l. nec emptio 8. de contra. empt.* Et pretium certum *l. cum in venditione 36. ff. de contrah. empt.* Quæ tria in hoc contractu ineundo adeo sunt necessaria, ut si vel unum ex iis omittatur, contractus perfectus non sit, sed emptio nulla, quæ tria & naturalia dicuntur. Contrà verò omnibus illis positis, emptio perfecta & contracta censetur. Positis quippe universis rei substantialibus partibus, res ipsa ponitur. At una parte essentiali posita nõ protenus res ponitur ipsa. Hinc occasione istius hæc quæstio nata est. An sine pretio quod principale emptionis & venditionis requisitum est *per d. l. cum in venditione 36. ff. de contrah. empt.* Contractus emptionis & venditionis nullus sit? Affirmandum potius quàm negandum puto *per pr. inst. de empt. & vendit.* Vbi hæc habentur verba: Pretium autem constitui oportet, nam nulla emptio sine pretio esse potest. *Item § 1. inst. eod. tit.* Sufficit autem si modo de pretio convenerit, quamvis nondum illud numeratum *sit pr. inst. h. t. l. 2. § 1. ff.* de *contrah. empt. & l. empti fides 9. C. eod. tit.* Quia hoc spectat ad consummatio-

Hæc sententia cõsentanea est juris textibus,

tionem contractus, in his enim implementum & executio contractus est. Contractus enim hic fit solo & nudo consensu, propter libertatem utilitatemq; commerciorum, & maximè hujus contractus usitatissimi & summè necessarii humanæ societati. Ad corroborandam etiam nostram opinionem accedit *l. 2. § 1. l. cum in venditione 36. ff. de contrah. empt. l. empt. fides 9. Cod. eod. tit.* Ratio esse potest. 1. Quia emptionis substantia consistit in pretio, & pretium est quasi anima emptionis *l. si. donat. 3. C. de contrah. empt. l. empti fides 9. C. eod. tit.* Et tradente Papiniano *in l. pacta conventa 72. in fin. pr. d. t.* Hujus rationis ratio vix alia reddi poterit, quam quod ita inter homines propter usum commerciorum receptum fuerit *l. 1. ff. de contrah. empt.* 2. Ratio. Quia pretio res æstimatur. Sine re vero (quæ merx appellitatur *l. 1. in pr. & § 1. in fin. ff. de contrah. empt. l. 1. in pr. ff. de rer. permut.*) nec emptio & venditio potest intelligi *l. nec emptio. 8. in pr. ff. de contrah. empt.* Quam sententiam etiam confirmant, multi magni nominis JCti. Quorum nomina singula hic apponere supervacaneum puto. Rem enim maximè illustrat *Harpr. ad pr. h. t. Wesenb. in paratit. de empt. & vendit. Vultej. de empt. & vend. num. 9. 10. 11. & seqq. Arumæus. Bocerus & reliqui fere omnes.* Qui cum hac Quæstione ita concludunt. Quod sine pretio emptio & venditio omnino nulla sit.

Rationibus perspicuis.

Autoritate Doctorum.

Quæstio V.

An Furiosus & mente captus hunc contractum emptionis & venditionis celebrare possint?

Quandoquidem mutuo soloq; emptoris & vendi-

toris consensu hic contractus perficitur *l. 1. in fin. l. in venditionibus 9. in pr. ff. de contrah. empt. l. 2. in pr. l. in quibuscunq; 48. ff. de Oblig. & Act.* Planum & evidens inde fit, quod furiosus & mente captus, qui consensum non habent, hunc contractum celebrare nequeant *l. emptionem 2. C. de contrah. empt. § sed & mente captis 4. instit. de curat. item l. obligationes, 1. § furiosum 12. ff. de oblig. & act. juncta l. in negotiis 5. l. furiosi 40. ff. de reg. Jur: & plerique Dd: in l. 11. § fin. & l. 18. ff. de pign. action.* Et non solum textibus juris, sed etiam rationibus satis firmis & perspicuis hæc negativa stabiliri potest sententia. 1. Quia furiosus, quatenus scilicet furiosus est, voluntatem non habet *per d. l. furiosi 40. ff. de reg. Jur.* Ubi vero nulla voluntas, ibi nullus consensus *l. velle non creditur 4. ff. de reg. Jur.* Ubi nullus consensus, ibi nulla quoq; contrahitur emptio & venditio *d. l. in venditionibus 9. ff. de contrah. empt.* vel si contrahatur, tamen hoc fit sine effectu, quia consensus ad substantialia requisita emptionis refertur, ut dictũ in Quæstione antecedente, ubi de his plura vide. Ergo furiosus & mente captus, qui nullam habent voluntatem & exinde nullum consensum, hunc contractum celebrare non possunt. 2. Quia furiosi loco dormientium atq; ignorantium habentur *per l. si à furioso 24. in pr. ff. de Oblig. & Action. juncta l. possessio appellata est 1. § furiosus 3. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. 12. ff. de reb. cred.* Dormientes vero & ignorantes sine effectu hunc contractum ineunt. Ergo idem etiam dicendum erit de furiosis. 3. Quicunq; naturâ prohibentur contrahere ab illis quoq; contractus debet esse alienus. Atqui furiosi prohibentur naturâ emere atq; vendere *per d. l. emptionem 2. C. de contrah.*

Hæc Assertio nititur legibus ipsis.

Rationibus variis.

trah. empt. juncta l. furiosi 40. ff. de reg. Jur. tenendi enim affectionem non habent *d. l. possessio appellata est 1. § furiosus 3. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Prædicta tamen non sic simpliciter, sed cum mica salis accipienda sunt. Furiosorum enim duo sunt genera: Quidam enim perpetuum, nonulli intermissum furorem habent *l. emptionem 2. C. de contrah. empt. l. cum aliis penult. C. de curat. furio:* De his qui perpetuò laborant furore, verum est quod hactenus diximus, quod furosi nulla sit voluntas, nullus consensus, nullnm & firmum animi judicium *l. furiosi 40. ff. de reg. Jur. d. l. 1. § furios. 3. ff. de adqu. vel amitt. possess. d. l. 2. C. de contrah. empt.* Et ideo non potest contrahere, eaq; expedire quæ animi sensum ac judiciū desiderant. At verò illi qui intermissum furorem habent, quia certa habēt furoris intervalla *l. furiosum 9. C. qui testam. fac. poss.* Atq; sic in conspectu adumbratæ quietis sunt *l. quod meo 18. § si furioso 1. ff. de adquir. vel amitt. poss.* possunt intermissionis tempore negotia tam publica quam privata recte gerere *d. l. empt. 2. C. de contrah. empt. l. cum aliis penult. C. de curator. furios.* Nam judicium etiam exercere possunt *l. cum Prætor. 12. § non autem omnes 2. l. cum furiosus 39. ff. de judic:* Huic approbatæ sententiæ subscripserunt quidam non contemnendæ autoritatis interpretes *Treut. in disp. de empt. & vendit. th. 3. lit. a. Vultei. de empt. & vendit. num. 63. 64. cum seqq. Harprecht. ad pr. h. t. num. 93. cum multis aliis.* Concludendum igitur, quod furiosus, quatenus scilicet est furiosus, & in furore adhuc constitutus, nullo modo hunc contractum celebrare possit.

Autoritate Jureconsultorum.

Quæstio VI.

An aliquis invitus cogi possit rem suam vendere, etiam à Principe?

Planè cum ex prædictis evidentissimè constet; Emptionem & venditionem absq; libero & mutuo contrahentium consensu celebrari non posse, ex eo deprehendere promptum est; Quod nemo regulariter invitus cogi queat, rem suam vendere, ne quidem à Principe. Nisi certis quibusdam casibus: 1. Ut testamento jussus *l. 66. ff. de legat. 1.* 2. Vel ratione communionis l. *13. §. 17. ff. de act. empt.* 3. Vel ut publicæ inediæ consulatur *l. 1. §. 11. ff. de offic. præfect. verb.* Non desunt enim ad hanc stabiliendam sententiam, Primò varii textus juris. Facit enim huc *l. nec quasi Publicianam 70. ff. de R. V. l. non æquum est 9. ff. de act. rer. amot. l. id quod nostrum 11. ff. de R. J. l. invitum 11. l. in vendentis 13. l. dudum 14. C. de contrah. empt. l. nec emere 16. C. de jur. del. arg. l. invitos 11. C. de loc. l. nemo exterus 9. C. de Judæis. l. possessores 12. C. de fund. patrim.* Postremo adfertur *& text. in l. 1. C. de resc. vend. & l. si fraude. 6. C. de præsc. long. temp. Confer & huc l. sicut. 6. C. de O. A.* In quibus textibus omnibus generaliter traditur, Quod nemo invitus regulariter ad vendendum & emendum cogi queat. Cũ ab initio cuiq; liberum sit contrahere, vel non contrahere, quoniam nullus contractus est sine consensu, nec consensus est in eo qui cogitur per regulam juris expressam in *l. 4. ff. de reg. Jur.* Secundò afferuntur etiam ab illis, qui hanc negativam sententiam tanquam veriorem & communiorem recipiunt, multæ & variæ illustres rationes Juris. 1. Ratio esse potest: Quod malæ fidei emptio nulla

Recipiunt hanc sententiam ipsæ leges.

Ipsæ Juris Rationes.

nulla sit & irrita *l. 1. C. de rescind. vendit.* Atqui emptio coacta est malæ fidei emptio *per l. 1. de rescin. vendit.* Ergo nulla erit prorsus invalida. 2. Quia consentire debet is, qui emit & vendit *l. 1. in fin. l. in venditionibus. 9. in pr. ff. de contrah. empt. juncta l. 2. in pr: & l. in quibuscunque 48. ff. de obl. & act.* Utraq; Pars enim ad hunc contractum volens accedere debet, non coacta aut invita. Etenim consensus nisi liber sit nihil agit, sicuti rescripserunt Impp. Invitum comparare & distrahere Postulantis desiderium, non continere justam causam *l. invitum 11. C. de contrah. empt. l. nec emere 16. C. de jur. deliber.* Atqui inviti nulla voluntas, nullus propriè consensus est *l. velle creditur 4. ff. de R. I.* Ergo invitus ad emendum & vendendum cogi nequit. 3. Quia si simulatus consensus ad contrahendam emptionem non sufficit (quotiens enim simulata venditio contrahitur, nulla exinde obligiatio, nulla actio nascitur, sed hujusmodi actio pro nulla & inefficaci habetur *l. 55. ff. de contrah. emp.*) necessariò opus erit expresso consensu. Atqui ad contrahendã emptionem nihil efficit simulatus consensus, quia aliud est emptionem contrahere: aliùd simulatè duntaxat emptionem & venditionem contrahi. Cui etiam adstipulatur Modestinus *in l. 54. ff. de oblig. & act.* Contractus inquit imaginarii etiam in emptionibus juris vinculum non obtinent, cũ fides facti simulatur, non intercedente veritate, Quod & confirmarũt Diocletianus & Maximianus *in l. 6. C: si certum petat.* Vbi scribũt simulata pro infectis haberi. Ergo non simulato sed expresso opus erit consensu, quẽm invitus non habet. Invitus enim propriè consẽtire non dicitur, quia consensui nihil tam contrariũ est quàm error &

dissen-

dissensus *l. si per errorem 15. ff. de juris.dict. juncta l. 2. ff. de judic.* 4. Quia non sufficit consensum esse præsentem sive in præsens tempus directum, sed requiritur insuper, ut omnino liber sit consensus, vi itaq; extortus nimirum per Principem consensus, ad emptionem nihil operatur. Ait enim Prætor se pacta conventa, quæ vi aut metu extorta sunt, non servaturum *l. 7. § ait. Prætor. 7. ff. de pact.* & quidem certum est atq; indubitatum, quod contractus ejusmodi non debeant observari, cum nec boni mores id patiantur. 5. Quia quod nostrum est, sine facto & voluntate nostra ad alium transferri non potest *l. id quod nostrum 11. ff. de reg: jur:* Cum unusquisq; suæ rei sit moderator & arbiter non alius *l. in re mandata 21. C. mandat.* Et ipse etiam Imp. Antoninus Pius rescripsit: Illibatam esse oportere potestatem dominorum in res suas, nec cuiq; hominum Jus suum detrahi debere *§ 2. inst. de his qui sui vel al. jur. sunt.* In potestate enim alicujus esse non debet, quasi per rapinam rem invito domino auferre *l. nos quasi publicianam 70. ff. de R. V.* Et verius est ne quidem in Principis potestate esse, invitis subditis bona auferre. Quia hoc justitiæ est contrarium, quæ tanto plus in Principe necessaria est, quantò altior est eminentiæ suæ celsitudo *vid: Andr. Geil. 2. observat. 56.* Accedit quod rescripta Principum contra jus, elicita, ab omnibus judicibus rescindenda esse statuunt Impp. *l. rescripta 7. C. de precibus Imp. offer.* Et huc pertinet quod Severus & Antoninus in ore habere soliti fuerunt: Licet legibus soluti simus, legibus tamen vivimus *§ fin. inst. quib: mod. test. infirm. l. digna vox 4. C. de legib.* Et egregium est quod Trajanus Imperator, ad suum Præfectum dixit de gladio

quem

quem illi tradidit. Vt quamdiu *justè* Trajanus faciat, tam diu pro se utatur gladio, sin injustè contra se stringat *Philippus in Chronic. in vita Trajan. 7.* Deniq; a simili & hæc ratio adducitur. Si Dos metu promissa sit, nullius momenti est dotis promissio *l. 21. § si dos ff. quod met. ca.* Ergo si & alius bonæ fidei contractus, metu sit initus, nullius erit momenti. Tertiò & ultimo autoritate sua hanc Quæstionem illustrant. *Mynsing: cent. 5. observat. 37. Treut. in disput. de empt. & vendit. th. 3. lit. c. Bronchorst. cent: 2. assert. 63. edit. 2. Borcholt. part. 2. disput. de empt. & vendit. Godofred. ad l. 11. C. h. t. Tiraq. de retract. in præfat. num. 15.* Motus igitur hisce tribus potissimum fundamentis, finaliter sic concludo. Quod nemo invitus regulariter ad emendum & vendendum cogi queat, & ne quidem à Magistratu, sive Principe.

Autoritate Doctorum.

Quæstio VII.

Vtrum si inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta; & pretium certum sit, an vero incertum?

Cum aliter emptio & venditio contrahi nequeat, nisi certum sit & denominatum pretium *§ 1. inst. de empt. & vendit. l. certum est 6. ff. de reb. cred. l. hæc venditio 7. § hujusmodi emptio 1. & § si quis 2. juncta l. si quis fundum 33. ff. de contrah. empt.* Nam emptionis substantia ex eo consistit; & pretium est quasi anima emptionis *l. si donationis 3. C. de contrah. emp. empti fides 9. C. eod. tit.* Et tradente Papiniano *in l. pacta conventa 72. in fin. pr. ff. h. t.* De quibus uberiorem explicationem vide in quæstione illa antecedente. An sine pretio emptio constare possit.

Ubi pluribus pretii qualitas declaratur. Hinc inde non inconvenienter & inepte quæri potest. An pretium illud quod semper necessarium, denominatum & certum esse debet *d. § 1. inst. de empt. & vendit. d. l. certum est 6. ff. de reb. cred.* conferri possit in aliquem tertium? ita ut quanti Titius rem æstimaverit, tanti sit empta; & pretium etiam hoc modo certum sit, sive utrum valeat venditio vel non valeat? Ex veteribus Ictis alii ajentem, alii vero negantem sententiam veriorem esse putabant. Verum nos cum Justiniano Imperatore eorum controversiam, adhibito distinctionis fœdere decidimus, statuentes: Ut subsistat emptio, Titio, nimirum tertio illo, pretium definiente; non subsistat eo non definiente, ac vel mortuo vel alias nolente. Et hæc Imperatoris decisio extat & confirmatur *in l. ult. C. de contrah. empt.* Huic textui etiam accedit *§ 1. inst. eod. tit.* His etiam ad pleniorem intellectum adde *l. si merces 25. ff. locat* Robur etiam huic distinctioni adjici potest *ex l. si coita sit societas 75. ff. pro socie.* item ex *l. multa testamento 6. ff. de condit. & demonst.* His subscribunt quoq; *Ulpian. in l. 43. & Paulus in l. 44. ff. de verbor. Obligat.* confer huc etiam *l. diem proferre 27. § stari autem ff. de recep. qui arbit. item l. 43. & l seqq. 44. cum l. 45. ff. eod. tit.*

Defenditur hæc distinctio per varios Iuris textus,

Et hæc sententia non solum textibus ipsis, verum etiam rationibus juris egregie munita est. 1. Quotienscunq; deficit conditio contractus, toties & ipse contractus deficit *d. l. si coita sit societas 75. ff. pro soc. d. l. si merces 25 ff. locat. & d. l. fin. C. de contrah. empt.* quia conditione non existente, nullus est contractus, & per consequens nulla inde exoriri potest actio. Jam vero si Titius, cujus arbitrium electum est, non arbitretur, conditio contractus deficit.

Per illustram rationem.

Nam

Nam id ipsum actum est, ne aliter contractus sit, Titio, illo tertio nimirum, non arbitrante. Hanc sententiam insuper etiam defendunt. *Donell. Duar. & Giphan. in l. 43. ff. de verbor. obligat. Petr. Faber. in l. 22. ff. de R. I. Hottom. 5. observ. 21. Godd de contrah. stipul. cap. 8. num. 171. & seqq.*. Quare ex hisce juris testimoniis liquidò constat, Arbitrio tertii cujusdam, nimirum Titii præcisè standum. Ita ut si ille definiat pretii quantitatem quod illud omnino certum sit, atq; sic absq; nulla dubitatione valere emptionem & venditionem.

Per autoritatem jureconsultorum.

Quæstio VIII.

An valeat emptio & venditio, si pretii quantitas in liberam alterutrius contrahentium voluntatem conferatur?

Quoniam in quæstione præcedente satis abundèq; dictum fuit, quod pretium in emptione & venditione in arbitrium alicujus tertii, puta Titii conferri posit: *per ll. in quæstione proxima antecedente allegatas.* Hinc ulterius disquirendum videbatur, An arbitrium illud, de de quo modo dictum fuit, adeo extendi posit ut valeat emptio & venditto, si pretii quantitas in liberam alterutrius contrahentium voluntatem conferatur. Puta quanti velis, quanti æquum putaveris, quanti æstimaveris, habebis emptum? Negativam sententiam, quam communiorem & veriorem Dd. dicunt, defendunt etiam textus subsequentes. Facit huc inprimis *l. quod sæpe 35. §. illud constat 1. ff. de contrbh. empt.* Quo loco expressè hæc inveniuntur verba, Imperfectum negotium

Robur huic negationi adjici potest ex ipsis legibus.

tium esse hoc modo conceptum. Quod autem imperfectum est de jure subsistere non potest, inprimis in contractu emptionis & venditionis. Maxime ad rem pertinet *l. in vendentis 17. C. de contrah. empt.* Eleganter etiam hoc illustrat *l. sub hac 8. ff. de obligat. & act. juncta l. stipulatio 17. ff. de verber. obligat.* Ex quibus textibus maxima ex parte allegatis, hæc potissimum extrui potest ratio; Quod negotium hoc non astringat necessitate contrahentes ad solvendum, id quod in contractum venit, & per consequens nulla subest obligatio. Siquidem obligatio est juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ *pr. instit. de obligat.* Atq; sic prorsus sine ullo effectu. Cum possit emptor æstimare, & rem habere emptam & non habere, neuterq; ad implementum hujus contractus cogi *d. l. in vendentis 13. C. de contrah. empt.*

Ex rationibus juris,

2. Quia contractus hac ratione conceptus expresse esset contra modum & formam contrahendi emptionem & venditionem *l. quod sæpè 35. § illud constat 1. ff. de contrah. empt.* 3. Quia nullum certum pretium hac ratione constituitur. Nam planè incertum esset, cum penes emptorem stat etiam vilissimum determinare pretium, imò vel prorsus nullum quod tamen in emptione & venditione semper certum esse debet *per pr. inst. de empt. & vendit. item. § 1. inst. eod. tit. l. 2. § 1. l. cum in venditione 36. ff. de contrah. empt. l. empti fides 9. C. eod tit.* Etsi non numeratum sit, sed sufficit denominatum esse *l. 2. § 1. ff. h. t. d. l. 9. C. eod. tit.* Hanc negativam sententiam etiam apprehendit atq. defendit *Vultei ad pr. h. t. num. 48. Bronchorst centur. 1. miscell. controvers. assert. 67. Harprecht ad § 1. inst. hoc tit. num. 14. cum seqq. Wesenbecc. in paratit. hic*

Ex autoritate Doctorum.

Schnie-

Schneidevv. Duaron. eod. tit. & reliqui ferè omnes. Cum quibus & ego ſic concludo, quod emptio & venditio involuntatem & arbritrium, alterutrius contrahentium collata, prorſus nulla ſit & invalida.

Quæſtio IX.

An res ab aliquo empta ex pecunia mea, ſit mea; Adeo ut etiam à me vindicari poſsit?

Magni momenti hæc quæſtio eſt, cujus quidem negativa concluſio optimè defenditur *per l. ſi ex ea pecunia 6. C. de rei vindic.* Vbi dicitur ſi is apud quem depoſui pecuniam emat ex ea prædia quædam, ipſiq; tradita ſint, ad ea vindicanda, non dabitur mihi, cujus ſcilicet fuit pecunia, actio, ſed potius emptori. Facit huc *& l. ſi patruus 4. C. comm. utriusq; lud. &c. & l. & ſi tua pecunia 9. C. de donat. int. vir. & uxor.* Quo loco hæc notantur verba: Etſi de tua pecunia mancipia quædam comparatæ ſint uxori tuæ, tamen ſi ei traditæ ſint, eorum dominum non ad te, ſed ad eam pertinet &c. Huc referendus eſt textus *in l. ſi pcunia patris 1. juncta l. qui aliena pecunia 8. & tot. tit. C. ſi quis alt. vel ſi 6. &c.* Ex quibus textibus liquidò liquet. Quod res ex pecunia mea empta, non ad me ſed potius ad emptorem pertineat, Ita ut nec à me quoq; vindicari poſſit. Ratio deciſionis 1. exinde deſumi poteſt, quod res quæ ex dotali pecunia comparata eſt à marito, non ſit revera dotalis, nec uxori, ſed marito acquiratur *l. ex ea pecunia dotali 12. C. de jur. dot. l. ſive cum nupſiſſes ult. C. de ſerv. pign. dat. manum*: Ita quoq; res ex pecunia mea empta & comparata, non mihi, ſed emptori acquiritur *l. ſi ex ea pecunia 6. C. de rei vind. d. l.*

Hæc Sententia verior dicitur per ſubſequẽtes textus.

Pie fundamenta & rationes juris.

ſi patruus 4. C. comm. utriusq; judic. d. l. etſi de tua pecunia 9. C. de don. inter vir. & uxor. l. ſi pecunia patris 1. junct. l. qui aliena pecunia 8. & tot. tit. C. ſi quis alter. vel ſi. 6. &c. Sicuti nec pretium ex re furtiva redactum furtivum quoq; dicimus *l. qui vas 48. § ult. ff. de furt.* Nec rem pignoratam vocamus, quæ ex nummis pignoratis empta eſt *l. idemq; 7. § ult. ff. qui potior. pign. hab:* Nec communem uſuram appellamus, quæ ex communi pecunia, ab altero ex ſociis, proprio nomine fænori data debetur *l. ſi unus 67. 1. ff. pro ſocio.* 2. Inſtar rationis eſſe poteſt. Quoniam in dubio ſemper res ex pecunia ſolventis empta præſumitur *l. 24. ff. de reb. autor judic. poſſid.* Ergo non mihi ſed emptori, qui illam ſolvit, acquiritur. 3. Rationis locum obtinet. Quod res empta ex pecunia mea, ad hoc ſpecialiter in mutuum conceſſa, non ſit mihi tanquam creditori obligata, niſi hoc ſpecialiter cautum & conventum fuerit *l. quamvis ea pecunia 17. C. de pignor. & hypoth.* Et hæc ſententia verior & frequentiori calculo recepta eſt *juxta Eliam. Rober. diſput. 17. th. 1. Bronchorſt. centur. 2. ἐναντιωφανῶν aſſert. 65. edit. 2. Harprecht ad § item pretium inſt. de empt. & vendit num. 14. cum ſeqq. Vulte. ad pr. inſt. de empt. & vendit. num. 12. Cujac. lib. 5. obſervat. cap. 29.* Intuitu igitur ac ratione prædictorum ſic concludo. Quod res empta ex pecunia mea non mihi, ſed potius emptori acquiratur.

Per autoritatem jureconſultorum.

Quæſtio X.

An perfecta emptione & venditione periculum rei venditę ſtatim ad emptorem ſpectet, licet ei res nondum ſit tradita?

Quoti-

Quotidiana experientia testatur, quod in re vendita & non tradita sæpè contingat periculum. Ideo ad pleniorem intellectum, ad quem nimirum illud spectare debeat, lex tradit hanc regulam: Ut perfecta venditione regulariter omne commodum & incommodum, quod rei venditæ accidit, pertineat ad emptorem, etsi traditio nondum intervenerit, & res casu fortuito perierit. Sed potest tradi melior, perfectior, & uberior regula, ex qua cognosci possit, quando emptio censeatur perfectionem habere. Cum venditio sit purè (*l. 8. ff. de pericul. & commod. rei vend.* Nam si sub conditione sit emptio, siquidem conditio defecerit, deficit quidem emptio, sed si extiterit emptio perficitur, ac proindè illo casu, periculum rei, venditoris, hoc casu emptoris *d. l. necessario 8. ff. d. t.* Eaque vero pendente, potest dici, universæ rei interitum venditoris, particulare damnum emptoris esse *d. l. necessario 8. in fin. ff. d. t. juncta l. 5. C. eod. tit:*) Certæ speciei, non vero in genere vel ulternativè *l. 14. § 1. ff. de pericul. & commod. rei vend.* Et quæ degustationem non exigit, vel aliquid aliud, scilicet pondus, mensuram &c. *l. quod sæpè 35. § in his 5. ff. de contrah. empt.* omne periculum pertinet ad emptorem, licet res ei nondum sit tradita. Nisi aliter pactum fuerit *l. 10 ff. de pericul. & commod. rei vendit. § 3. institut. de emption. & vendition.* sive culpa *l. si fundus 33. vers. nam nisi ff. locat.* mora, Calliditas tradentis intervenerit *l. lectos 12. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Quæ regula primò omnium clarissimis & perspicuis textibus juris illustrari potest. Affertur enim ab his, qui hanc sententiam veritati maximè consentaneam defendunt *§ cum autem*

Hæc regula recepta videtur ex ipsis textibus juris.

autem 3. inst. de empt. & vendit. item l. id quod post 7. l. necessario 8. l. si vendita 11. l. servi emptor 16. ff. de pericul. & commod. rei vendit. Hisce textibus etiam adjungunt. textum in *l. 34. § pen. in l. quod sæpe 35. § si res ff. de contrah. empt. item l. 57. ff. eod. tit.* Ad declarationem hujus quæstionis etiam pertinet *l. cum inter emptorem 4. l. cum speciem 5. C. de pericul. & commod. rei vendit.* Huc etiam facit *l. cum emptor 5. § ult. ff. d. rescind vendit. juncta l. venditor 21. ff. de hæred. vel act. vendit.* Quibus locis etiam opitulatur *l. ult. C. de pericul. & commo. rei vend.* Ad illustrandam hanc regulam etiam accedunt *l. 11. § 17. ff. de act. empt. l. 31. ff. d. t. juncta l. fistulas 78. § ult. ff. de contrah. empt.* Possunt etiã huc afferri *l. 10. ff. de jur. dot. l. 14. in pr. ff. de furt. l. 15. ff. de jur. dot. l. Lucius 11. ff. de evict. l. ult. ff de condict. causa dat. &c.* Hæc prædicta igitur regula, non solũ expressis textibus juris, sed etiam rationibus perspicuis fundata & cõfirmata est. Rationes a. quare emptione perfecta, periculum statim, etiam ante traditionem factam, ad emptorem spectet, hæ potissimum esse possunt 1. Quia, qui sentit commodum, necesse est ut etiam sentiat onus sive incommmodum *l. secundum naturam 10. ff. de reg. jur. l. is qui § ult. ff. de leg. præst. l. unica C. de cad. tollend. juncto § 3. inst. hol tit.* At qui ad emptorem, emptione perfecta, licet res ei non dum sit tradita, omne commodum, quod ex re empta proficisci potest pertinet *teste Justiniano in § eum autem 3. inst. de empt. & vendit.* Ergo necesse est ut etiam in se recipiat onus sive incommodum, quod hoc loco est periculum rei venditæ. 2. Vbicunq; contractus fit utriusq; contrahentium gratia, ibi præter dolum & culpam nihil præstatur *l. sicut certo 5. § 2. ff. commod. l. contractus 23.*

Rationibus variis.

ff. de

ff. de reg. jur. Et hoc est quod ait Imperator Justinianus *in § 3. in versic. quicquid enim inst. de empt. & vendit.* Atqui emptionis & venditionis contractus fit utriusq; contrahentium gratia *d. l. si ut certo 5. § 2. ff. commod. d. l. contractus 23. ff. de reg. jur. juncto § cum autem emptio inst. de empt. & vendit.* Ergo venditor præter dolum & culpam, non etiam ad casum quemlibet fortuitum, & periculum præstandum tenetur, & per consequens illud erit emptoris non verò venditoris 3. Rationis loco esse potest: Quia debitor speciei liberatur interitu ejus, qui ante moram sine culpa ejus contingit, licet res nec dum tradita sit *l. si ex legati 23. ff. de verb. obligat.* Itaq; cum res interiit casu fortuito, liberatus est ab ejus præstatione venditor, tanquam speciei seu certæ mercis debitor & res perit periculo emptoris tanquam creditoris. 4. Loco accedit & hæc illustris ratio. Quod mora sua cuiq; nocere debeat non alii *l. 155. l. 173. ff. de reg. jur.* Sed emptor in mora petendi est, quoniam petere potest, & rem â venditore auferre, quandocunq; ei libuerit, soluto tamen, pretio *arg. l. 15. ff. de reg. jur. l. 143. ff. de ver. signific.* Ergo sibi imputet cur non petierit, cur, quod suum esse poterat, â venditore non avocaverit. Volenti igitur non fit injuria, & damnum quod quis sua culpa sentit damnum sentire non videtur, juxta tritissimum illud juris axioma *in l. 203. de reg. jur.* Et hanc sententiam crebriori calculo, usuq; confirmatum, amplectuntur *Wesenbecc. in paratit. Mynsing. Schneidevv. Giphan. & alii in hoc § nostro Bronchorst. cent. 1. ἐναντιοφανῶν assert. 89. & seqq. edit. 1. Matt. Steph. cent 3. quæst. 70. Treut. in disp. de empt. & vendit. & reliqui ferè omnes.* Per tot expressos igitur textus juris, ratio-

Ex confirmatione aliquorũ Doctorum

nes varias, atq; perspicuas, & autoritatem quorundam Dd. Periculum reivenditæ regulariter & statim ad emptorem spectat, licet res emptori adhuc non sit tradita.

Quæstio XI.

An jus accrescendi transeat ad emptorem hereditatis, an vero ad ipsum spectet heredem?

Cum ex præcedentibus pateat, perfecta emptione & venditione, etiam ante rei traditionem, periculum ac casum fortuitum ad emptorem spectare; Quo vero regula æquitatis observetur, par est ut dicatur ad eundem emptorem vicissim commodum & emolumentum pertinere *id quod etiam in § 3. inst. de empt. & vendit. Justinianus expresse testatur juncta l. 10. ff. de reg. jur.* Igitur consequenter necesse est, ut jus accrescendi tanquam commodum & emolumentum in emptorem hereditatis transeat. Quod & textibus juris & rationibus maxime perspicuis probari potest. Facit enim huc *l. 2. in pr. & § vlt. ff. de hered. vel act. vendit arg l. fundus 64. ff. de contrah. empt.* Ubi ita ait Ulpianus. Inter ementem & venditorem hoc agitur, ut neq; amplius, neq; minus juris emptor habeat, quam apud heredem futurum esset. Proinde cum apud heredem, si hereditatem non vendidisset, portio deficiens futura fuisset, idcirco & hanc jure accrescendi ad hereditatis emptorem spectare, consequens est. Facit ad rem *d. l. 2. § cum quis ff. de hered. vel act. vendit.* Item *d. l. 2. § non tantum autem ff. d. t.* Vbi expresse hæc habentur verba. Non tantum quod ad venditorem heredis

Hæc quæstio illustratur textibus ipsis.

perve-

pervenit, sed & quod ad heredem ejus ex hereditate pervenit emptori restituendum est, & non solum quod jam pervenit, sed & quod quandoq; pervenerit restituendum erit. Rationibus etiam hæc elegans quæstio venit declaranda. 1. Quia hereditas est jus universum *l. hereditas 62. ff. de reg. jur. l. hereditatis 119. l. pecuniæ 178 § heredi-tas 1. ff. de verb. signific.* Ideoq; hereditate vendita, semper illud jus venditum intelligitur, quod penes heredem futurum esset, si ea vendita non fuisset. Vt neque amplius, neq; minus juris emptor habeat quam apud venditorem eundemque heredem futurum fuerit *l. 2. in pr. ff. de hered. vel act. vendit.* 2. Quia emptor hereditatis vicem heredis, atque adeo omnia jura hereditaria obtinet *d. l. 2. § cum quis 18. ff. de hered. vel act. vend.* Quod si igitur vicem heredis obtinet, par est, ut sicut deficientis coheredis portio ipsi accrescit heredi, ita & emptori hereditatis accrescat, & per consequens, ut jam dictum, neq; plus neq; minus juris habeat emptor, quam apud heredem futurum esset *d. l. 2. in pr. ff. de heredit. vel act. vendit.* Quod autem dixi emptorem hereditatis vicem heredis obtinere *d. l. 2. § cum quis 28. ff. d. l.* Hoc respectu venditoris intelligendum est. Nam quod ad creditores attinet & legatarios, eorum jus contrahendo debitor heres tollere, aut mutare non potest *l. 25. cum l. seq. ff. de pact.* Nec in aliam personam transferrre obligationem, quam adita hereditate sponte suscepit quasi contrahendo. 3. Quia Tralatitium est, quod is qui sentiat onus sive incommodum, necesse habeat, ut etiam sentiat commodum & lucrum *l. secundum naturam 10. ff. de reg.*

Rationib. claris & perspicuis.

jur. §3, inst. de empt. & vendit. Atqui ad emptorem hereditatis omne damnum respicit *l. 2. §. sicuti 9. ff. de hered. vel act. vendit.* Ergo ad eundem lucrum quoq; respicere debet, & per consequens jus accrescendi,(quod aliâs emptor accepisset, si eam non vendidisset) ad emptorem tanquam emolumentum hereditatis hoc loco spectare debet. 4. Quia portio deficiens, velut alluvio, portioni, scilicet rei, non verò personæ accrescit, *l. si Titio 33. in fin. ff. de usufr.* Cum ergo portionem hereditatis habeat emptor non venditor, illi, non vero huic, portio deficiens accrescet *l. si totam 83. ff. de adquir vel amit. hered l. Papinianus 43. ff. ad SCtum. Trebel.* 5. Quia etiam competit empti actio ad accessiones emptionis *l. 11. § 17. ff. de act. empt.* etiam integras *l. 26 cum l. 27. ff. d. t.* Quoniam verò jus accrescendi est accessio quædam. Ergo emptori ad accessiones emptionis, scilicet ad jus accrescendi competet actio empti. Cujus probabilioris sententiæ assertores etiam sunt *Bartol. ad l. re conjuncti 89. num. 26. ff. de legat: 3. Duaren. de jure accresc. lib. 2. cap. 6. Johan Robert. lib. 3. animadvers. Jur. civil. cap. 42. Arum. exercit. Just. 14. th. 7. & disp. 13. Pandect. th. 5. Andr. Gerhard decbd. 14. quæst. 8. Harprecht. ad § loca sacra 5. & ult. instit. de empt. & vendit. num. 23. 24. 25. cum seqq.* Cum quibus juris fundamentis, ex parte recensitis, finaliter sic concludo, quod nunquam jus accrescens, ad venditorem hereditatis, tanquam ipsum heredem, sed potius ad emptorem spectare debeat.

Autoritate Jureconsultorum non contemnendorum.

Qua-

Quæstio XII.

An contractus emptionis & venditionis rescindi posſit, ſi in eo lęſio ſit ultra dimidium?

Quoniam omnium eſt animus, vili emere, & carè vendere, *ſecundum l. ſi voluntate 8. C. de reſcind. vendit. l. item ſi pretium 22. § fin. ff. locat.* Hinc occaſione iſtius venuſta hæc quæſtio, non intempeſtivè hic movetur. An emptioni & venditioni ſtandum ſit. ſi in ea pars alterutra contrahentium, ultra dimidiam juſti pretii lædatur. Veluti ſi venditor rem, centum aureis dignam, minus quinquaginta, puta 48. aut 49. aureis vendiderit? Quod omnino negandum puto, propter expreſſum textum & beneficium ac Imperatoribus, Diocletiano & Maximiano conceſſum *l. 2. C. de reſcind. vendit.* Cui addatur *d. l. ſi voluntate tua 8. C. de reſcind. vendit.* Ubi hæc inveniuntur verba, quod non facilè hic contractus reſcindi debeat niſi intercedat in eo læſio ultra dimidiam juſti pretii *l. ſi dolo adverſarii 5. C. d. t. l. 36. ff. de* [illegible] *bor. oblig. l. 54. ff. de contrah. empt.* Ubi à contrario ſenſu argumentari licet *arg. l. 61. § 2. ff. de jur. doti, arg. l. 70. § ſi centum ff. de legat. 2. l. Lucius 38. ff. famil erciſc.* Præter textus etiam rationes juris afferri poſſũt. 1. Quia notiſſimum eſt in omnibus æquitatis potius, quã ſtricti juris rationẽ habendam *l. placuit 8. C. de judic.* Jusq; noſtrum artem boni & æqui eſſe *l. 1. in pr. ff. de juſt & jur.* Æquitati autem illud præcipuè convenit, ne in venditione tam immodica læſio ſuſtineatur, & ſublata arte boni & æqui, nihil eſt reliquum, quo negotia hominũ rectè explicari definiriq; poſſint? Igitur propter ſummam illam æquitatem, quæ maximè in hoc

Probatur hæc ſentẽtia per leges ipſas.

Per rationes juris.

contractu versatur, & hinc bonæ fidei est, enormis ista læsio rescindenda erit. 2. Quia si immodica ista læsio concederetur esset contra bonum publicum, nam hujus frequentissimi contractus iniquitate, una pars generis humani exhauriretur. Reipublicæ autem interest quam ditissimos habere cives *arg. § fin. inst. de his qui sui vel ali. jur. sunt.* 3. Quia natura hujus contractus suadet, ut tam emptor quam venditor servetur indemnis *l. debet 27. in fin. ff. de ædil. edict. juncta l. intra 39. ff. de minor.* Hac vero ratione illa regula non observaretur si ob immodicam illam læsionem contractus rescindi non posset 4. Quia dolus hunc contractum suspectum facit *§ in fraudem 3. in fin. inst. qui & ex quib. caus. man. l. palam est. 2. § sequitur 1. ff. de dol. except.* Quando vero venditor deceptus est in venditione, non est absq; dolo, *d. ll.* Igitur necesse est, ut succurratur venditori decepto per beneficium & privilegium in *l. 2. C. de rescin. venditione* expressum, 5. Quia nemo lucrari debet cum alterius damno, & vice versa nemo damnum sentire debet, per alterius lucrum *l. 1. in pr. ff. de dol. mal. l. 6. § 2. ff. de jur. dot.* Si vero læsio enormis & immodica concederetur, regula hæc quæ descendit ex æquo & bono *per d. l. 6. § 2. ff. d. t.* omnino violaretur, quia venditor per lucrum emptoris magno afficeretur damno. Et hæc sententia tanquam veritati maxime consentanea, non solum rectibus juris, rationibus & fundamentis perspicuis, Verum

Per autoritatē Doctorum.

etiam autoritate quorundam Clarissimorum ICtorum nititur. Recipit enim hanc opinionem supra traditam *Harprecht ad § ult. instit. h. tit. num. 40. Matth. Steph. de*

de empt. & vendit. & reliqui. Cum quibus & ego finem impono huic quæstioni statuens, emptionem & venditionem rescindendam esse, si in ea læsio immodica & enormis intercedat. Dicitur autem hoc loco immodica & enormis læsio illa, quæ est ultra dimidium justi pretii *l. 2. C. de de rescind. vendit.*

Quæstio XIII.

Numquid beneficium in l. 2. C. de rescind. vendit. ab Imperatoribus concessum, etiam in emptore locum habeat?

Controvertitur ab Interpretibus. An beneficium d. l. 2. C. de rescind. vendit. quod venditori tribuitur *l. si voluntate tua 8. C. de rescind. vend.* etiam in emptore, ultra dimidiam justi pretii læso, locum habeat? Et quamvis aliqui contendant, beneficium istud ad emptorem nō esse extendendum: Communem tamen sententiam ego non usq; adeo levibus rationibus motus, motus, veriorem esse censeo, quod nimirum prædictum beneficium hoc ad emptorem quoq; referri debeat. Et inter alias primo loco hæc affertur ratio. Quia in correlativè oppositis, jus indubitatū est, ut quod in uno statuitur, idem etiam statuatur in altero *l. legem Juliam fin. C. de indict. viduit. toll'end. l. si quis 1. C. de cupr.* Atqui emptor & venditor correlativè sibi opponuntur. Ergo quod receptum est in venditore, recipiendum etiam in emptore. Illustrat hanc quæstionem 2. Quia natura hujus contractus suadet, ut tam emptor, quam venditor servetur indemnis *l. debet 27. in fin. ff. de ædil. edict. l. intra 39. § 1. ff. de minor.* Ergo exinde tam

Hæc assertio pro veriori habenda est propter allegatas rationes.

tam emptori ultra dimidium læso quam venditori hoc beneficio succurrendum erit. *3.* Quia sicut æqualiter utrisq; sese invicem circumscribere jure naturali permittitur *l. in cæ. 16. § idem Pomponius penult. ff. de minor. jun. Et a l. item si pretio 22. § quemadmodum fin. ff. locat.* Ita & in his, in quibus ratione circumscriptionis, aut alterius causæ, vel rescissio contractus fit, vel adversus eum restitutio datur, & aliter quoquo modo subvenitur, tam emptoribus quam venditoribus, sive majoribus sive minoribus, æqualiter lege succurritur *l. Julianus 13. § si venditor 4. cum § seqq. ff. de action. empt. l. 3. & l. cum emptor 5. ff. de rescind. vendit.* 4. Quia ubi eadem est læsionis ratio, ibi idem jus quoq; statui debet *l. quædam 9. § nummularios 2. ff. de edend. l. illud quæsitum 32. ff. ad leg. Aquil. l. à Titio 108. ff. de verb. oblig. l. in omnibus caus 68. ff. de R. I.* Atqui cũ privilegium d. l. 2. C. de rescind. vendit. non personale sit, sed venditori idcirco tributum, quod is nimium læsus fuerit, cum non venditori dictum remedium competat, quoniam venditor est, sed quid læsus, quia deceptus est, sequitur inde quod idem etiam emptori, si nimium læsus fuerit, sit indulgendum. 5. Quia prædictum illud beneficium ex humanitate profluxisse patescit *ex d. l. 2. vers. humanum est C. de rescind. vendit:* Atqui longè humanius est emptori subvenire quàm venditori. Siquidem venditor circumscriptus habet, quod sibi imputet, cur tam vili leviq, pretio rem suam distraxerit: Cum valoris illius rei notitiam habere præsumatur *l. quisquis 15. C. de rescind. vendit.* Volenti igitur & scienti nulla potest fieri injuria. Emptori vero nihil tale quid imputari poterit, cum non scientiam sed ignorantiam in factis rebusq; alienis præsumi,

mi, manifesti sit *juris l. ult. in fin. ff. pro suo l. 2. cum ll. seqq. ff. de fact. & jur. ignor.* 6. Tum propter maximam affinitatem, quæ est inter emptorem & venditorem, ob quam verbo venditionis emptionem quoq; contineri veteres dixerunt. *Ut videre est in l. veteres 19. ff. de action. empt.* 7. Quia in venditione dotis causa, tam emptori quam venditori succurritur *l. jure succursum 6. § si in dote danda 2. & fin. ff. de jur. dot. l. si res æstimata 12. § si mulier 1. ff. eod. tit.* Ergo idem quoq; verum erit in simplici venditione. Quia ratio legis generalis est, ergo & generalis est ejus dispositio. Atq; hanc assertionem defendunt *Bartol. Bald. ad d. l. 2 part. 1. cap 2. C. de rescind. vendit. Et ibid. Donell. num. 48 cum seqq. Robert. lib. 2. animadv. jur. civ. cap. 13. Matth. steph. cent. 3. quæst. 71.* Et in Camera imperiali eam servari attestatur *Mynsing. centur. 4. observat. 70. num. 3. cum seqq.* Ex hisce igitur prædictis juris fundamentis irrevocabiliter verum evadit, aliquoties allegatum beneficium etiam ad emptorem extendendum esse.

Propter approbationem Doctorum.

Quæstio XIV.

Utrum transigens, ultra dimidium, deceptus, rescissionem transactionis petere, vel ad supplementum justi pretii, agere queat?

Difficilior & sæpius agitata concertatio de transactione videtur: Utrumne transigens, ultra dimidium deceptus rescissionem transactionis petere, vel ad supplementum justi pretii agere queat? Quamvis enim multi ajentem & affirmantem sententiam amplectantur: Ego tamen illorum non invitus accedo opinioni, qui beneficium aliquoties allegatæ l. 2. C. de rescind. vend. ad

transactionem nullo modo pertinere concludunt. Hæcq; conclusio tribus potissimum fundamentis nititur. Textibus nimirum juris, rationibus perspicuis & autoritate JCtorum non contemnendorum. 1. Textus quod attinet, pro stabilienda hac opinione multifarii adduci possunt. Facit enim huc inprimis *l. Lucius 78. § ult. ff. SCtu. Treb.* Rem etiam maximè declarat *l. à Divo Pio* §*si pignora 3. ff. de re jud.* Hæc conclusio etiam probatur ex *l. in summa 65. § & quidem 1. ff. de conduct. indeb.* Accedit insuper *l. odiosas ult. vers. ibi transactionibus scilicet C. de plus petit item l. quod si deferente 21. ff. de dol. mal.* Præterea hanc sententiam etiam illustrant *l. sub prætextu instrumenti 19. sub prætextu specierum 29. C. transact.* In quibus deciditur transactionem rescindi non posse sub prætextu instrumentorum noviter repertorum. Et tamen evenire potest, ut ex instrumento noviter reperto transigentis læsio ultra dimidium appareat; Denique affertur & textus in *l. causas 16. C. de transact. item l. 10. C. eod. tit.* Secundò probatur etiam hæc conclusio per rationes & fundamenta juris. Adducitur enim 1. Quia transactio non fit nisi super re dubia & adhuc plane incerta *l. qui transigit 1. ff. de transact.* Jam quod dubium est illius læsio, neq; infra neq; supra dimidium facile sciri potest *l. si ea lege 17. C. de usur.* In emptione v. & venditione læsio semper certa est, propter pretium certum § 3. *inst. de empt. & vendit.* Ergo. Confert huc. 2. Quia causa per jusjurandum finita retractari nequit ratione cujuscunq; læsionis *l. non erit 5. § 2. & l. item postquam 9. § 1. ff. de jurejur.* Atqui juramentum & transactio æquiparantur, jusjurandum siquidem speciem trans-

Hæc negativa sententia cōfirmatur textibus juris.

Rationib9 perspicuis.

transactionis continet *l. jusjurandum 2. ff. de jurejur.* Ergo idem quoque de causa per transactionem finita pronunciandum. Huic secundæ rationi non admodum absimilis erit & 3. Quia transactio & sententia sive res judicata inter se comparantur *d. l. 2. ff. de jurejur. & l. non minorem 20. C. de trans.* Sed sententia seu res judicata nunquam rescinditur ob quamcunq; læsionem *l. 1. § ri non modo 4. ff. de lib. exhib.* si contra jus ligatoris lata sit, non autem contra jus constitutiones *l. sub specie 4. C. de re judic. 2. in fin. C. quando pro. non neceß.* Est Ergo nec transactio. Huc respicit. 4. Quod in stricti juris contractibus, secundum veriorem sententiam, Constitutioni *de l. 2. C. de rescin. vendit.* locus non sit, quia prædictum beneficium ex humanitate potius originem suam traxit *d. l. 2. versu humanum C. d. t.* Sed in contractibus bonæ fidei tantum locum habet. At verò transactiones sicut pacta sua natura & ingenio sunt stricti juris *arg. § actionum 28. inst. de actionibus juris gentium 7. § quinimo & l. si unus 27. § pacta quæ 4. v. ante omnia ff. de pact.* Ergo illa prædicta constitutio in transactione: locum non habebit. Huc maximè conducit 5. Quod transactio nullam cognationem cum emptione habeat. Qui enim actionem remittit, licet aliquid accipiat, tamen dare aliquid verè dici non potest. Fieri namq; potest, ut non rectè petieris & injuste, vel judicis injuria non obtinuerit. Incertum itaq; hoc, quod transactione remittitur *l. 1. ff. de transact.* æstimari nequit *arg. L. quemadmodum 28. § item labeo 3. in fin. ff. ad L. Aquil.* Quæstionem nostram illustrat & 6. Quod Reipublicæ intersit, lites quæ indies innumeræ emergunt, aut judicato, aut

transſactione finiri, finitias autem bona fide, nunquam reſuſcitari, At nullus foret litium finis, ſi prætextu immodicæ læſionis, transactiones, bona fide finitæ reſcinderentur. 7. Opinioni noſtræ non admodum contraria eſt & hæc, Quod omnis tranſactio ad liberationem tendat, quo caſu nec facilè reſciſſioni locus eſt *l. ſub prætextu 19. C. de tranſact. juncta l. 29. C. eod. tit.* quia alias, ſi per beneficum l. 2. C. de reſcind. vend. reſcindi poſſit, finis transactionis impediretur Dixi in principio hujus queſtionis opinionem hanc tribus potiſſimum fundamentis confirmari poſſe. Textibus nimirum, Rationibus juris, & autoritate clariſſimorum virorum. De prioribus duobus ſatis & abundé jam dictum fuit, reſtat nunc, ut de tertio & ultimo fundamento ſermo inſtituatur. Defendunt itaq; hanc conclusionem inprimis *Donell. num. 61. in ſæpius. d. l. 2. C. d. t.*] *Zaſius conſil. 18. lib. Alciad. conſil. 124. num. 3. & conſil. 98. num. 4. Bronch. cent. 1. ἐναντιωφανῶν aſſert. 92. edit. 1. Matt. Steph. cent. 3. quæſt. 71.* Borcholt, *in comment. de tranſact. cap. 4. num. 22. Hicce etiam adde Andr. Geil. lib. 2. obſervat. 701.* Ubi notat hanc opinionem (quod nimirum tranſactio prætextu læſionis ultra dimidium non reſcindantur) tauquam veriorem in Camera Imperiali aliquoties judicando eſſe approbatam; Itaq; his bene conſideratis, nihil prohibet, quin huic ſententiæ tantquam veriori, & quotidiano uſu, approbatæ, amplius ſubſcribam. Quod autem laudatiſſimo Electori Auguſto aliter viſum fuerit Conſtitut. 34. part. 2. hic jam non diſputo, ſed pro novo jure in his terris recepto, meritò agnoſco.

Autoritate Doctorum.

Qua-

Quæstio XV

An emptio & venditio inter extraneum quendam contracta, ab illo, qui jus prælationis sive retractus habet, retrahi posſit?

Gravis hoc loco & non contemnenda, diſcutienda venit quæſtio. An emptio & venditio contracta inter me & extraneum quendam, ab aliquo, cui jus προτιμήσεως ſive congrui competit, reſcindi & annihilari poſſit? Ut autem hæc quæſtio melius & facilius intelligi poſsit: necesse prius eſt, ut caſus aliquis, illuſtrationis cauſa fingatur, qui talis eſſe poteſt. Ego Titius, vendidi prædium Tuſculanum meum Sejo alicui extraneo. Mævius autem frater meus paratus eſt idem pretium dare, quod Sejus ille extraneus ſolvit. Quæritur nunc jam, An contracta inter me & extraneam emptio, à Mævio, fratre ſcilicet meo retrahi queat? R. Quod jure communi Cæsareo hoc fieri nequeat *per l. dudum 14. C. de contrah. empt.* per quam legem illud jus προτιμήσεως abrogatum fuit. Hujus deciſionis ſive abrogationis ratio hæc reddi poteſt. Quia contractus inprimis hic conſtare debent conſenſu *l. 1. § 1. in fin. ff. de contrah. empt.* At ſi ego rem meam velim transferre in alium, non verò in fratrem ſive propinquum, & hic meus conſenſus inhiberi poſſit ab eo; jam hoc videtur repugnare naturæ hujus contractus & libertati commerciorum, quod eleganter indicat & declarat *d. l. dudum 14. C. de contrah. empt.* Sed conſtitutione Friderici Imperatoris (*quæ extat lib. 5. feudor. tit. 13.*) Jus iſtud προτιμήσεως ſive retractus rurſus introductum, & generali quadam conſuetudine, unde

Hæc constitutio illustratur textibus,

etiam vocatur retractus Municipalis, Germaniæ ubiq; locorum ut & in Gallia, Italia & Hispania, aliisq; nonnullis Regionibus ac Provinciis receptum ac comprobatum est *d. lib. 5. feudor. tit. 13.* Huic etiam adde sequentem *tit. 14 ejusdem lib. feud.* Et hæc Generalis consuetudo non vulgari ratione nititur. Quæ talis potest esse, Ut nimirum res majorum in nostra familia permaneant. Triste enim & lugubre est, videre paternas & avitas domos, ac antiqua majorum prædia in extraneas transire manus *l. si in emptionem 35. ff. de minor l. lex quæ tutors § nec verò domum C. de administ. tutor arg. l. in fundo 32* Ibi laribus, sepulchris avitis carendum habeat *ff. de rei vend.* Et hanc consuetudinem Jure divino observatam atque corroboratam esse, ostendit *Levit. cap. versu 25.* Ibi si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & voluerit propinquus ejus, potest redimere, quod ille vendiderat. Concordat *Ruth. cap. 4. versu 4.* Ubi dicitur partem agri patris nostri Elimelech vendidit Noem, si vis possidere, jure propinquitatis eme & posside. *Item Jerem. cap. 32. versu 7. & 8.* Quo loco hæc habentur verba: Eme tibi agrum meum, tibi enim competit ex propinquitate, ut emas. Præter jus divinum, etiam jure civili non desunt textus, quibus hoc jus prælationis inter conjūctos expresse statuitur. Ecce enim *l. 3. C. de jur. emph.* disponit. Si Emphyteuta vult rem vendere, quod dominum requirere & per duos menses, an emere velit, expectare teneatur. Idem patet ex dispositione *l. 1. C. non lit. habit. Metroc.* Ubi extranei non possunt emere Metrocomiam, sed tantum ibi habitantes. In materia feudali quoq; constituitur, quod proximi agnati possint feudum à Vasallo venditum rescissa venditione, eodem

pretio redimere & ad se revocare *lib. 2. feudor. tit. 1.* Etiam in conductionibus prædiorum publicorum ju[illegible] servatur, ut antiqui Possessores præferantur extraneis *l. congruit 4. l. prædia 5. C. de locat. prædior. civ.* Casus quoq; in quo hujus juris πρoτιμήσεως habetur ratio, *est in l. si in emptionem 35. ff. de minor.* Ubi minor in bonis Majorum prærogativam, restitutione in integrum habet, si tantum dare vult, quantum extraneus. Similis casus habetur *in l. 1. ff. de privil. cred.* ibi quando debitoris bona venduntur, præfertur in emptione creditor, qui cognatus est, extraneo. Et hanc tanquam veriorem & communiorem sententiam, defendunt & recipiunt, multi magni nominis JCti, in quorum numero est *Andr. Geil. lib. 2. observat 19. num. 1. Mynsing. centur. 3. observat. 51 Corast. lib. 3. Miscell. jur. civil. cap. 3. num. 1. Bronchorst. cent. 1. Miscell. controvers. assert 68.* Priusquam verò huic quæstioni finis imponatur, & hæc tanquam colophonis loco adjicienda esse puto. Quod nimirum omnia jam dicta, non simpliciter, sed cum mica salis quadam accipienda sint. Vtens enim hoc jure πρoτιμήσεως 4. observare debet. 1. Vt pretium justum & integrum offerat *l. Julianus 13. § offerri 8. & seq. ff. de act. empt.* 2. Vt simul cum pretio sumptus & expensas, tempore contractus factas, integrè refundat. *l. intra, utile 29. § fin. ff. de minor.* 3. Vt in suum usum retrahat, non in utilitatem alterius & in fraudem emptoris. Vnde alteri jus suum cedere non potest, quia est jus personale, jura autem personalia cum personis ipsis extinguuntur, neq; in alias transferuntur. 4. Vt intra annum & diem fiat retractus. Quod tempus declarat *Geil. observ. 19. num. 10. Huic etiam adde Mynsi. cent. 3. observ. 51. n. 3. Bald. in l. dudum 14. C. de contem. & vendit.*

Approtione reconstorum

An is, cui competit jus retractus, verum solummodo rei pretium, teneâtur solvere an vero id, quod extraneus obtulit?

Quoniam in quæstione proxima præcedente satis & abundè demonstratum explicatumve fuit, quod propinquus aliquis, cui competit *jus* προτιμήσεως id est prælationis, emptionem & venditionem, inter extraneum quendam contractam, rescindere possit *l. si in emptionem 35. ff de minor. l. lex quæ tutores § nec verò domum C. de administ. tutor. arg. l. in fundo 38. ff. de rei vendit.* Hinc occasione & intuitu istius, non minus elegans & utilis incidit quæstio. Utrum is, cui competit *jus* retractus, verum solummodo rei pretium teneatur solvere, an verò id quod extraneus obtulit, etiamsi *justo* majus sit! Hæc quæstio licet controversia insigni non careat, multis putantibus, eum, cui *jus* prælationis competit, verum duntaxat rei pretium offerre teneri. Attamen ego illorum sententiam, tanquam veriorem & probabiliorem assumo, qui sentiunt retrahentem id pretium, quod extraneus emptor dedit, quantumvis *justum* excedat, solvere obligatum esse: Textus in hanc rem sunt luce meridiana clariores, hanc opinionem confirmat *l. ult. versu etsi quidem dominus C. de jur. emphyt:* Ubi *jus* προτιμήσεως domino emphyteutæ quidem datur, sed tamen ille idem pretium, quod extraneus revera oblaturus esset, solveret cogi-

Hæc conclusio confirmatur per subsequẽtes leges.

cogitur. Eandem ſtabilire videtur *l. congruit æquitati p. nult. & l. prædia ult. in fin. C. de locat. prædior. civil.* Ubi antiquior Colonus Fiſci præfertur extraneis in nova conductione dummodo idem pretium ſolvat, quod cæteri offerre ſunt parati. Eidem Robur addit non exiguum textus *in l. fundo 38.* Ibi ſi paratus eſt dominus tantum dare quantum habiturus eſt poſſeſſor *ff. de rei vindic.* Et in *l. prætor. 9. § in eum 6.* Ibi quantum perciperetur, ſi locatus vel diſtractus fructus eſſet *ff. de rebus autor judic. poſſ.* Ultimo loco accedit *& l. ſi in emptionem 35. ff. de minor.* Rationibus etiam perſpicuis & probabilibus hæc nititur opinio. 1. Quia natura hujus contractus ſuadet, ut tam emptor quam venditor ſervetur indemnis *l. debet 27. in fin. ff. de ædili: edict. juncta l. intra 39. ff. de minor.* Atqui ſi retrahens teneretur ſolummodo juſtum verumq; rei pretium ſolvere, venditor non indemnis ſervaretur, quia ab extraneo emptore, fortè accipere poſſet pretium quod juſto majus eſſet 2. Quia privilegium hoc prælationis, non debet cum detrimento tertii eſſe conjunctum *l. Prætor ait 2. § ſi quis à Principe 16. ff. ne quid in loc publ. &c.* Sed in noſtro caſu venditorem, ſi cogeretur minus pretium accipere, quàm ab aliis poſſet habere, damnum pati in aperto eſt, & per conſequens beneficium iſtud prælationis hac ratione conjunctum eſſet cum damno & detrimento venditoris. 3. Quia Tralatitium eſt, neminem debere duplici onere ſive damno affici *l. navis 4. § cum autem jactus 2. verſu, quia non debet & verſ. quid ergo ff. ad Leg. Rhod. de jact. l. cogi 16. § inde quæritur 3.* Ibi ne dupliciter fidecommiſſarius

Per gatus tiones.

F onere-

›neretur *ff. ad SC. Trebell.* Sed si retrahens teneretur solummodo justum verumq; rei pretium solvere: venditor duplici onere & incommodo afficeretur: Vno quod invitus rem vendere compellatur *contra l. dudum 14. C. de contrah. empt.* Altero quod partem sui pretii sine ulla sua culpa amitteret *contra cap. sine culpa 23. de reg. jur. in 6.* 4. Quia surrogatum ejusdem est naturæ, cum eo cujus in locum substituitur & succedit *arg. l. si ex lapiditinis 32. ff. de jur. dot. l. Imperator 70. § cum autem rogatus 3. & fin. cum l. sed quod 71. & seqq. ff. de legat. 2.* Jam verò is, cui competit & conceditur *jus* προτιμήσεως in locum prioris emptoris succedit. Ergo idem pretium, quod extraneus quidam oblaturus esset, solvere tenetur 5. Quia, ut is, cui conceditur *jus* prælationis sive congrui, idem pretium offerat, quod extraneus quidam obtulisset, refertur expressè inter principalia retractus requisita *arg. l. Julianus 13. § offerri 8. & seqq. ff. de action. empt.* Igitur si retractus locum habere debet, necesse est, ut omnia ejusdem principalia ponantur requisita. 6. Quia etiam *jure* Saxonico verum est, quoties *jus* retractus competit, *justum* pretium imò tantum, quantum alius non fraudulenter offert, solvendum esse *Novell. Elect. August. part. 2. cap. 33.* Atq; ita hanc *jure* firmatam & corroboratam defendunt & sequuntur decisionem *Bald. in l. 2. ad fin. Cod. de rescind. vendit. Rober. disputat. 17. thes. 2. Bocerus Class. 2. disputat. 20. thes. 62. Treutler. in disputat. de empt. & vendit. Wesenbecc. in paratitul. ad hunc ipsum tit.* Quibus omnibus & ego adstipulor

Per autoritatem Doctorum

lor & ſimul huic quæſtioni finem impono, ſta
Quod is cui competit *jus* προτιμήσεως, omne
pretium, quod extraneus obtulit, etiamſi juſto
majus ſit, ſolvere te-
neatur.

A jove principium est: A jove finis